

eloquia tractatorum Ambrosii videlicet, Augustini, Ieronimi et aliorum quam plurimum^{a)}. Sed quis illorum omnino vel predixit vel predicere potuit horam et tempus nativitatis illius? Quod si fecissent, non modo primum nec tibi soli patuissent misteria scripturarum et involuta divinorum librorum, maxime cum tanta sit in aliquibus nostri temporis peritia litterarum et in divinis voluminibus labor et studium, intellectus, memoria et ingenium, ut vix ab ipsis auctoribus discrepare putentur et profundiora^{b)} certe, si vellent et tempus exigeret, sentire potuissent. Que^{c)} cum ita sint, quis sufficiat admirari tibi solum revelatum, quod nulli sit hominum videre permissum, ut alter videaris evangelista et apostolus, qui de domini pectore misteria prophetie potaveris^{d)} et solus haurire^{e)} potueris, quod nec ille dilectus a domino potuit?

Huc accedit, quod apostolum quoque putabimus esse mentitum, si tuum illud^{f)} dixerimus verum esse preconium. Scribens enim Thessalonicensibus de fine seculi et de futuris misteriis Antichristi, qualiter sit futurus illius adventus, exponit: *nisi, inquit^{g)}, venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis^{h)}*, et cetera que sequunturⁱ⁾. Antefuturam discessionem^{j)}, et sic revelabitur Antichristus secundum apostolum. Tu vero vel quia scripturam non intelligis vel quia scripturam pervertis, cum non discessio^{k)} venerit, Antichristum revelatum fateris. Quomodo? Adhuc accessio est, ac per hoc nondum venit discessio^{l)}. Adhuc *regnum celorum vim patitur et violenti diripiunt illud^{m)}²⁾*, et *impetus fluminis letificat civitatem Dei³⁾* et *in flumine pertransitur pede⁴⁾* et *flumen Dei repletum est aquis⁵⁾*. Et innumerabilia diciⁿ⁾ possunt, quibus ostenditur verum esse, quod dicimus. Cum vero desierit accessio, discessio^{o)} futura est. Omni habundante iniquitate refrigerabitur caritas multorum⁶⁾.

Et post hec sequente defectu Romani imperii, immo desistente Romano imperio revelabitur ille iniquus^{p)}⁷⁾. Sic etenim dicit idem apostolus:

a) plurimorum Erdmann. b) das zweite o aus d korr. Hs. c) folgt quem Hs. d) korr. aus potaverit Hs. e) aurire Hs. f) illut Hs. g) inquit Hs. h) perditionis Hs. i) antefuturam discessionem] añfutām dissecionem Hs. j) discesio Hs. k) discesio Hs. l) discescio Hs. m) illut Hs. n) ci übergeschrieben Hs. o) discesio Hs. p) inquis Hs.

¹⁾ 2. Thess. 2, 3.

²⁾ Matth. 11, 12.

³⁾ Ps. 45, 5.

⁴⁾ Ps. 65, 6.

⁵⁾ Ps. 64, 10.

⁶⁾ Vgl. Matth. 24, 12.

⁷⁾ Vgl. 2. Thess. 2, 8.